

# Jan Novák: Florilegium cantionum Latinarum

Melodiae veteres ad cantum cum clavibus

Blütenlese lateinischer Gesänge: Alte Melodien für Gesang und Klavier

Fasc. I: Hymni et cantica natalicia (1972)

Heft I: Hymnen und Weihnachtslieder

Fasc. II: Carmina profana (1974)

Heft II: Weltliche Gesänge

Texte nach den Liederheften.

Übersetzung: Wilfried Stroh

## Florilegium I

### PROOEMIUM

Iis conatibus faventes, per quos lingua Latina in pristinum splendorem reduci debeat – et haud pauca nostris diebus ad facundiam Latinam recuperandam ab hominibus doctis et sermonis Latini amatoribus aguntur scribuntur admonentur – cantilenas Latinas in libris novis veteribusque dispersas et saepissime pulvere bibliothecarum obrutas diligenter per annos exquirebamus, e quibus illas aut modis musicis aut versibus poeticis insigniores atque potiores elegimus et harmoniis nostro tempori prioribus ornavimus et sic eas per tres fasciculos dispositas tibi, candide lector, aut potius iucunde cantor, propinamus. (Et cantorem te esse puto, sive domi tantum murmure summisso tecum cantites, sive cum sodalibus scholasticis vigore vocis contendas, sive denique in acroasibus musicis coronam audientium arte canora oblectes). Nec dubito, quin multa in nostris fasciculis inventurus sis, quorum deliciis et suavitatibus melicis, nedum melleis, gaudeas, et fortasse miraberis, quam multi musici flores iniquitate temporum perierint, etsi cantiunculae, quas tibi praebemus, simplices sunt et floribus quasi campestribus similes et potius cantilenis popularibus comparandae, quibuscum etiam hoc in commune habeant, quod – sive melodiam sive versiculos spectes – saepe variantur et mutantur in diversis codicibus. Quamquam anthologia nostra vetustiora tantum exempla continet, quorum aetas annum 1582 non excedit (Piae Cantiones) – recentiora quaedam tamen in fasciculo ad cantum cithara comitante seorsum edito afferimus (Cantiones Lat. medii et recentioris aevi) – tamen minime in animo nobis fuit, ut cantiones nostras modo historico, ut aiunt, tractarem (ut fit ex. gr. in disco Carminum Buranorum nuperrime in Germania edito), immo potius tempori nostro carmina aptabamus quaerentes non quod nos a vetustate disiungit, sed potius cum maioribus coniungit, sequentes usum vitae potius quam studium antiquitatum. Ne tamen omnino adminiculis criticis destitutus sis, in adnotationibus ad singula carmina ponimus, si quid scitu iucundius aut notatu dignum erit. Sed hoc praecipue nobis curae est, ut habeas, quod cantes. Vale igitur et canta!

*I. Novak, G. Zanibon.*

### I. AD GALLI CANTVM

Divi Ambrosii (Saec. IV)

Aeterne rerum conditor,  
noctem diemque qui regis  
et temporum das tempora,  
ut alleves fastidium:

Praeco diei iam sonat,  
noctis profundae pervigil,  
nocturna lux vianibus  
a nocte noctem segregans.

Hoc excitatus lucifer  
solvit polum caligine,  
hoc omnis errorum cohors  
vias nocendi deserit.

Hoc nauta vires colligit  
pontique mitescunt freta,

hoc ipse petra ecclesiae  
canente culpam diluit.

Surgamus ergo strenue,  
gallus iacentes excitat  
et somnolentos increpat,  
gallus negantes arguit.

Gallo canente spes redit,  
aegris salus refunditur,  
mucro latronis conditur,  
lapsis fides revertitur.

Iesu, labantes respice  
et nos videndo corrige.  
Si respicis lapsus cadunt  
fletuque culpa solvitur.

Tu lux refulge sensibus  
mentisque somnum discute.  
Te nostra vox primum sonet  
et ora solvamus tibi.

## 2. IAM LVCIS ORTO SIDERE (Saec. VII)

Iam lucis orto sidere  
deum precemur supplices,  
ut in diurnis actibus  
nos servet a nocentibus,

linguam refrenans temperet,  
ne litis horror insonet,  
visum fovendo contegat,  
ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,  
absistat et vecordia,  
carnis terat superbiam  
potus cibique parcitas,

ut cum dies abscesserit,  
noctemque sors reduxerit,  
mundi per abstinentiam  
ipsi canamus gloriam.

## 3. HYMNUS S. IOANNIS BAPTISTAE Pauli Diaconi (Saec. VIII)

Vt queant laxis resonare fibris  
mira gestorum famuli tuorum,  
solve polluti labii reatum,  
Sancte Ioannes.

Nuntius celso veniens Olympo  
te patri magnum fore nasciturum,

nomen et vitae seriem gerendae  
ordine promit.

Ille promissi dubius superni  
perdidit promptae modulus loquelaе,  
sed reformasti genitus peremptae  
organa vocis.

Ventris obstruso positus cubili  
senserat regem thalamo manentem:  
hinc parens nati meritis uterque  
abdita pandit.

Antra deserti teneris sub annis  
civium turmas fugiens petisti,  
ne levi saltem maculare vitam  
famine posses.

Praebuit hirtum tegimen camelus  
artibus sacris strophium bidentes,  
cui latex haustum, sociata pastum  
mella locustis.

Ceteri tantum cecinere vatum  
corde praesago iubar adfuturum,  
tu quidem mundi scelus auferentem  
indice prodis.

#### 4. LAVS PARTHENIA (Saec. XIII. exeunte)

Missus baiulus Gabriel Verbi fidelis  
caelo salutatur Mariam sacris loquelis.

"Ave" inquit angelus "carens omni labe",  
verbum bonum nuntians pandit et suave.  
"Plena gratia, veniet Christus de caelis  
in te habitans, crede tu meis loquelis".

Missus baiulus ...

Tunc Maria respondit angelo dicenti:  
"Qualiter istud erit mihi asserenti,  
ignorans virum? Tu dicis: natum habebis,  
quae devota sum domino atque fidelis".

Missus baiulus ...

Mariae tunc angelus : "Noli trepidare,  
descendet paraclitus tecum habitare.  
Ex te nascetur filius dei de caelis,  
Iesus dicetur, crede iam meis loquelis".

Missus baiulus ...

"Ecce", ait angelo respondens Maria,  
"dei esse cupio humilis ancilla:

suum filium dominus mittat de caelis  
in ventrem meum. Credo iam tuis loquelis".

Missus baiulus ...

Angelus disparuit et statim Mariae  
uterus intumuit fulgens omni die,  
virgo peperit filium dei de caelis  
virgo permansit post partum mater fidelis.

Missus baiulus ...

## 5. VERBVM PATRIS (grad. Mosburgense, a. 1360)

Verbum Patris humanatur o  
dum Puella salutatur o  
salutata foecundata viri nescia  
ei ei eia nova gaudia.

Novus modus geniturae o  
sed excedens vim naturae o  
dum unitur creaturae creans omnia  
ei ei eia nova gaudia.

Audi partum praeter morem o  
Virgo parit Salvatorem o  
creatura creatorem patrem filia  
ei ei eia nova gaudia.

In parente Salvatoris o  
non est parens nostri moris o  
virgo parit nec pudoris marcent lilia  
ei ei eia nova gaudia.

Homo Deus nobis datur o  
datus nobis demonstratur o  
dum pax terris nuntiatur caelis gloria  
ei ei eia nova gaudia.

## 6. ANGELVS AD VIRGINEM (Saec. XIV)

Angelus ad virginem subintrans in conclave  
virginis formidinem demulcens inquit "Ave!  
Ave regina virginum, caeli terraeque dominum  
concipies et paries intacta salutem hominum,  
tu porta caeli facta medela criminum".

"Quomodo conciperem quae virum non cognovi?  
qualiter infringerem quod firma mente novi?"  
"Spiritus sancti gratia perficiet haec omnia:  
ne timeas, sed gaudeas, segura quod castimonia  
manebit in te pura dei potentia".

Ad haec virgo nobilis respondens inquit ei:  
"Ancilla sum humilis omnipotentis dei.  
Tibi caelesti nuntio tanti secreti conscio  
consentiens et cupiens videre factum quod audio:  
parata sum parere dei consilio".

Eia mater domini, quae pacem reddidisti  
angelis et homini, cum Christum genuisti:  
tuum exora filium, ut se nobis propitium  
exhibeat et deleat peccata: praestans auxilium  
vita frui beata post hoc exilium.

## 7. RESONET IN LAVDIBVS (Saec. XIV-VI, Piae cant. 1582)

Resonet in laudibus  
cum iucundis plausibus  
Sion cum fidelibus:  
apparuit, quem genuit Maria.

Christus natus hodie  
ex Maria virgine  
sine viri semine: apparuit ...

Pueri concinite,  
nato regi psallite,  
voce pia dicite: apparuit ...

Sion lauda Dominum,  
salvatorem hominum,  
purgatorem criminum: apparuit ...

Sunt impleta, quae praedixit Gabriel.  
Eia, Eia.  
Virgo deum genuit  
quem divina voluit clementia.

Hodie apparuit,  
apparuit in Israel:  
ex Maria virgine est natus rex.

## 8. PERSONENT HODIE (Piae Cantiones, 1582)

Personent hodie voces puerulae  
laudantes iocunde,  
qui nobis est natus, summo deo datus,  
et de vir, vir, vir et de vir, vir, vir,  
et de virgineo ventre procreatus.

In mundo nascitur, pannis involvitur,  
praesepe ponitur  
stabulo brutorum rector supernorum.  
Perdidit, dit, dit, perdidit, dit, dit  
perdidit spolia princeps infernorum.

Magi tres venerunt, parvulum inquirunt  
parvulum inquirunt  
stellulam sequendo ipsum adorando,  
aurum thus, thus, thus, aurum thus, thus, thus,  
aurum thus et myrrham ei offerendo.

Omnes clericuli, pariter pueri  
cantent ut angeli:  
advenisti mundo, laudes tibi fundo.  
Ideo, o, o, ideo, o, o,  
ideo gloria in excelsis deo.

[Zurück zum Verzeichnis der Vertonungen antiker Texte](#)

[Zurück zum Verzeichnis der Vertonungen neu- und mittellateinischer Texte](#)

## Florilegium II

### I. AVREA PERSONET LYRA

Aurea personet lyra  
clara modulamina!  
Simplex chorda sit extensa  
voce quindenaria.  
Primum sonum mese reddat  
lege hypodorica.

Philomelae demus laudes  
in voce organica  
dulce melos decantantes  
sicut docet musica,  
sine cuius arte vera  
nulla valent cantica.

Cum telluris vere novo  
producuntur germina  
nemorosa circumcirca  
frondescent et brachia,  
flagrat odor per quam suavis  
florida per gramina.

Hilaescit philomela  
dulcis vocis conscia  
et extendens modulando  
gutturis spiramina  
reddit voces ad aestivi  
temporis indicia.

Instat noctis et diei  
voce sub dulcisona  
soporatis dans quietem  
cantus per discrimina

nec non pulchra viatori  
laboris solatia.

Vocis eius pulchritudo  
clarior quam cithara  
vincit omnes cantitando  
volucrum catervulas  
implens silvas atque cuncta  
modulis arbustula.

Volitando scandit alta  
arborum cacumina  
gloriosa valde facta  
veris pro laetitia  
ac festiva natis gliscit  
sibilare carmina.

Felix tempus, cui resultat  
talis consonantia!  
Vtinam per duodena  
mensium curricula  
dulcis philomela daret  
suae vocis organa.

O tu parva, numquam cessa  
canere, avicula,  
tuam decet symphoniam  
monochordi musica,  
quae tuas laudes frequentat  
voce diatonica.

Sonos tuos vox non valet  
imitari lyrica,  
guibus nescit consentire  
fistula clarisona,  
mira quia modularis  
melorum tripudia.

Nolo, nolo, ut quiescas  
temporis ad otia,  
sed ut laetos des concentus  
tua volo lingula,  
cuius laude memoreris  
in regum palatia.

Cedit auceps ad frondosa  
resonans umbracula,  
cedit cycnus et suavis  
ipsius melodia,  
cedit tibi tympanistra  
et sonora tibia.

Quamvis enim videaris  
corpore praemodica,  
tamen te cucti auscultant,  
nemo dat iuvamina,  
nisi solus rex caelestis,  
qui gubernat omnia.

Iam praeclara tibi satis  
dedimus obsequia,  
quae in voce sunt iocunda  
et in verbis rythmica,  
ad scholares et ad ludos  
digne congruentia.

Tempus adest, ut solvatur  
nostra vox harmonica,  
ne fatigent plectrum linguae  
cantonum taedia  
et pigrescat auris prompta  
fidium ad crasmata.

Trinus Deus in personis,  
unus in essentia,  
nos conservet et gubernet  
sua sub clementia  
et regnare nos concedat  
cum ipso in gloria. Amen.

## II. O QUID IUBES, PVSIOLE

O quid iubes, pusiolo,  
quare mandas, filiolo,  
carmen dulce me cantare,  
cum sim longe exul valde  
intra mare?  
O cur iubes canere?

Magis mihi, miserule,  
flere libet, puerule,  
plus plorare quam cantare  
carmen tale, iubes quale,  
amor care.  
O cur iubes canere?

Mallem scias, pusillule,  
ut velles tu, fratercule,  
pio corde condolere  
mihi atque prona mente  
conlugere.  
O cur iubes canere?

Scis, divine tiruncule,  
scis, superne clientule,  
hic diu me exulare,  
multa die sive nocte  
tolerare.  
O cur iubes canere?

Scis captivae plebeculae  
Israeli cognomine  
praeceptum in Babylone  
decantare extra longe  
fines Iudae.  
O cur iubes canere?



Non potuerunt utique  
nec debuerunt itaque  
carmen dulce coram gente  
aliena nostrae terrae  
resonare.  
O cur iubes canere?

### III. ECCE LAETANTVR OMNIA

Ecce laetantur omnia,  
quaeque dant sua gaudia,  
excepto me, qui gratia  
amicae meae careo:  
quod quorundam invidia  
evenit, unde doleo.

Amor amoris lancea  
me vulneravit aurea:  
mallem ego quod plumbea,  
nam sic in illam ardeo,  
non est catena ferrea,  
quae me teneret laqueo.

Est equidem res anxia  
amor plenus miseria:  
nam tunc dat mihi gaudia,  
cum velle mentis habeo,  
item praebet suspiria,  
cum cupita non teneo.

Amore nihil gravius,  
nihil amore levius,  
nihil eo felicius:  
gravat corde lapideo,  
mutatur ex lascivia,  
est felix, cum possideo.

Quot sunt arenae litore,  
quot folia in arbore,  
quot rami sunt in nemore  
tot dolores sustineo,  
ob hoc infirmus corpore,  
quod hanc tenere nequeo.

Rursus quot sunt in aethere  
astra vel quot sub aere  
homines credo vivere,  
tot vicibus congaudeo,  
cum possum mane tangere,  
quam semper mente video.

Nulli sit admirabile,  
quod facit amor feminae  
me non carere crimine,  
nam sub throno aethereo  
non est, quae pulchritudine  
hanc vincat, cui me debeo.

#### IV. DE RAMIS CADVNT FOLIA

De ramis cadunt folia,  
nam viror totus periiit,  
iam calor liquit omnia  
et abiit.  
Nam signa caeli ultima  
sol petiit.

Iam nocet frigus teneris  
et avis bruma laeditur  
et philomena ceteris  
conqueritur,  
quod illis ignis aetheris  
adimitur.

Nec lympa caret alveus  
nec prata virent herbida,  
sol nostra fugit aureus  
confinia.  
Est inde dies niveus,  
nox frigida.

Modo frigescit, quidquid est,  
sed solus ego caleo  
immo sic mihi cordi est,  
quod ardeo:  
hic ignis tamen virgo est,  
qua languo.

Nutritur ignis osculo  
et leni tactu virginis.  
In suo lucet oculo  
lux luminis,  
nec est in toto saeculo  
plus numinis.

Ignis graecus extinguitur  
cum vino iam acerrimo,  
sed iste non exstinguitur  
miserrimo,  
immo fomento alitur  
uberrimo.

#### V. DVLCE SOLVM

Dulce solum  
natalis patriae,  
domus ioci,  
thalamus gratiae,  
vos relinquam  
aut cras aut hodie  
periturus  
amoris rabie.

Vale tellus,  
valete socii,  
quos benigno  
favore colui,  
et me dulcis consortem studii  
deplangite,  
qui vobis perii.

Igne novo  
Veneris saucia  
mens, quae prius  
non novit talia,  
nunc fatetur  
vera proverbialia.  
"Ubi amor,  
ibi miseria".

Quot sunt apes  
in Hyble vallibus,  
quot vestitur  
Dodona frondibus  
et quot natant  
pisces aequoribus,  
tot abundat  
amor doloribus.

## VI. ECCE GRATVM

Ecce gratum  
et optatum  
ver reducit gaudia:  
purpuratum  
florete pratum,  
sol serenat omnia.  
Iam iam cedant tristitia!  
Aestas redit  
nunc recedit  
hiemis saevitia.

Iam liquescit  
et decrescit  
grando nix et cetera.  
Bruma fugit  
et iam sugit  
veris tellus ubera.  
Illi mens est misera,  
qui nec vivit  
nec lascivit  
sub aestatis dextera.

Gloriantur et laetantur  
in melle dulcedinis,  
qui conantur, ut utantur  
praemio Cupidinis.  
Simus iussu Cypridis  
gloriantes et laetantes  
pares esse Paridis.

## VII. VERIS DVLCIS IN TEMPORE

Veris dulcis in tempore  
florenti stat sub arbore  
Iuliana cum sorore.

Dulcis amor!  
qui te caret hoc tempore,  
fit vilior.

Ecce florescunt arbores,  
lascive canunt volucres,  
inde tepescunt virgines.

Dulcis amor! ...

Ecce florescunt lilia  
et virgines dant gemina  
summo deorum carmina.

Dulcis amor! ...

Si tenerem, quam cupio,  
in nemore sub folio  
oscularer cum gaudio.

Dulcis amor! ...

## VIII. TEMPVS EST IOCVNDVM

Tempus est iocundum,  
o virgines!  
modo congaudete,  
vos iuvenes!  
O! o! totus floreo!  
iam amore virginali totus ardeo.  
Novus, novus amor est, quo pereo!

Tempore brumali  
vir patiens,  
animo vernali  
lasciviens.  
O! o! ...

Cantat philomena  
sic dulciter  
modulans auditur  
feliciter.  
O! o! ...

Sile, philomena,  
pro tempore!  
surge, cantilena,  
de pectore!  
O! o! ...

Mea me confortat  
promissio,  
mea me deportat

negatio.  
O! o! ...

Flos est puellarum,  
quam diligo.  
et rosa rosarum,  
quam video.  
O! o! ...

Mea mecum ludit  
virginitas,  
mea me detrudit  
simplicitas.  
O! o! ...

Veni domicella  
cum gaudio!  
veni, veni, pulchra,  
iam pereo!  
O! o! ...

## IX. O SCHOLARES

O scholares, voce pares,  
iam mecum concinite  
et choream iubilaeam  
laeti mecum ducite.

Iam ad festum nihil maestum  
servitute studii!  
noster coetus spe est laetus  
nobilis convivii.

Convivari, non tristari  
iubet lex in saeculo,  
consolari, iocundari  
mandat Bacchus populo:

Ergo gaude, plaude laude,  
contio scholarium!  
o si tale, tale, tale,  
semper esset gaudium!

Felix ludus, in quo nudus  
scholaris verberibus  
non succumbit nec decumbit  
magistri livoribus:

Ergo gaude ...

## X. TEMPVS ADEST FLORIDVM

Tempus adest floridum,  
surgunt namque flores. Ver-  
nales mox in omnibus  
immutantur mores.

Die Zeit der Blüte ist da, es sprießen ja die Blumen  
des Frühlings; bald ändert sich überall das Gewohnte.  
Was die Kälte verdorben hatte, stellt die Wärme

Hoc, quod frigus laeserat,  
reparant calores.  
Cernimus hoc fieri  
per multos labores.

Stant prata plena floribus, in  
quibus nos ludamus!  
Virgines cum clericis  
Simul procedamus.  
Per amorem Veneris  
ludum faciamus,  
ceteris virginibus  
ut hoc referamus!

O dilecta domina, cur  
sic alienaris? An  
nescis, o carissima,  
quod sic adamaris?  
Si tu esses Helena,  
vellem esse Paris.  
Tamen potest fieri  
noster amor talis.

#### XI. IN VERNALIS TEMPORIS ORTV

In vernalis temporis  
ortu laetabundo,  
dum recessum frigoris  
nuntiat hirundo,  
terrae maris nemoris  
decus adest deforis  
renovato mundo,  
vigor redit corporis,  
cedit dolor pectoris  
tempore iucundo.

Terra vernat floribus  
et nemus virore,  
aves mulcent cantibus  
et vocis dulcore,  
aqua tempestatibus  
caret, aër imbribus  
dulci plenus rore,  
sol, consumptis nubibus,  
radiis potentibus  
lucet cum calore.

O quam mira gloria,  
quantum decus dei!  
Quanta resplendentia  
eius faciei!  
a quo ducunt omnia,  
summa ima media,  
formam speciei:  
maior haec distantia,  
quam sit differentia  
noctis et diei.

wieder her.  
Das sehen wir geschehen im Spiel vieler Farben.

Die Wiesen sind voll von Blumen, dass wir darauf  
spielen.  
Mädchen und Kleriker, gehen wir zusammen dorthin!  
Wollen wir in Liebe das Spiel der Venus treiben,  
um es den übrigen Mädchen erzählen zu können!

O geliebte Herrin, warum wendest du dich so ab?  
Weißt du nicht, Liebste, dass du so geliebt wirst?  
Wenn du Helena wärest, wollte ich Paris sein.  
Und doch kann unsere Liebe so werden wie die  
ihrige.

## XII. IN STADIO LABORIS

In stadio laboris  
currunt omnes socii,  
brabium sed honoris  
consequuntur singuli:  
Si non vis onerari,  
caveas honorari,  
honor vult onere gravari.

Sicut dulcedo mellis  
non evacuabitur  
acerbitasque fellis  
numquam relaxabitur:  
sic et in praelatura  
nullus est sine cura,  
rerum hoc exigit natura.

Sed si in libertate  
vivere volueris,  
vivas in caritate,  
sic tu non dolueris:  
nil habes, nil dolebis,  
perditum neque flebis,  
sed in hoc, quod habes, gaudebis.

[Zurück zum Verzeichnis der Vertonungen neu- und mittellateinischer Texte](#)